


05  
A  
784



DISPUTATIONUM METAPHYSICARUM

*QUARTA.*

DE

# VERITATE

*QUÆ*

DIVINA ASPIRANTE GRATIA

PRÆSIDE

*KIRO*

*CLARISSIMO ATQVE PEREXIMIO*

**DN .M. CHRISTIANO BILEFELD**

Lubec: Amplissimæ Facultatis Philosophicæ Adjuncto meritissimo, Fautore ac Promotore suo

æternūm devenerando


*Publicè ventilanda proponit*

**M.FRIDERICO HAUPT, DANTISCANO**

*AUTHORE.*

In Auditorio Minori

*Ad d. 15. Novembr. Horis matutinis.*

  
*WITTEBERGÆ*

Typis Johannis Rohneri Acad. Typogr.

ANNO M DC LI.



C 105 A 784

**A**Ctum in præcedenti disputatione est de prima Unita Entis affectione, videlicet de Unitate, quæ aliàs vocari siveit simpliciter simplex: sequuntur itaq; illæ, quæ cum respectu quodam rationis vocantur simplices, siquidem inferunt relationem vel ad Intellectum, quod Veritatis munus est, vel ad voluntatem, quod præstat Bonitas. Illa autem meritò huic præfertur, quandoquidem intellectus prior est voluntate, ac propterea etiam illa affectio priori collocanda loco, quæ respectum habet ad intellectum, hæc verò posteriori, quæ voluntatem respicit. Imò bonum esse & dici non potest, nisi quod verè est; Veritas enim boni fundamentum est. *Vid. Part. Metaph. B. D. Jac. Mart. p. m. 201. Theor. Transcend. Pl. Rev. Dn. D. Scharfij. p. 327. Metaph. Div. Pl. Rev. Dn. D. Calovij. p. m. 321.* Nos hâc vice illam considerabimus, quæ intellectum respicit. Progrediemur verò circa considerationem ejusdem hoc ordine in nomine Jesu.

*THESIS I.*

**Veritas est congruentia s. conformitas rei  
cum intellectu potissimum divino.**

1. In hâc descriptione Veritatis duo præprioris spectanda veniunt. *Definitorum & Definitio s. potius descriptio ipsa.* *Definitorum* quod concernit, sciendum Veritatis nomen variè accipi apud Autores. 1. enim verum dicitur illud, quod non est fictum ab intellectu, sed habet veram & realem essentiam. 2. Opponitur apparenti, & indicat id quod est, non verò saltē ad-

paret esse, & quod tale est quale esse videtur. 3. Usurpatur pro re typo adumbrata, atque hinc antitypus dicitur res & corpus ipsaque veritas, typus vero. umbra rei & veritatis. 4. Denique accipitur Transcendentaliter, & sic omni tribuitur Enti, quatenus convenit cum intellectu divino, & in hâc ultimâ significacione hic loci sumitur.

2. Diversimode autem Veritas considerari solet, vel in actu directivo s. intentionaliter, quatenus ad veritatem tanquam ad finem omnia diriguntur, & hâc ratione pertinet ad Logicam; vel realiter & sic iterum tûm materialiter s. in actu exercito, prout veritatem quasi concretam sumimus cum rebus ipsis, considerando scilicet res, earumque proprietates, quatenus à parte rei insunt; atque sic Philosophia tum Theoretica, tum Practica veritatem considerat: tûm formaliter, & in actu signato, quatenus nimirum in Veritatis quidditatem s. rationem formaliter inquiritur, & quasi signatur, quidnam Veritas formaliter & in se, s. quoad naturam & essentiam suam sit, quam variè item & quomodo se ad Eum habeat, & hoc respectu solius Metaphysicæ est veritatem Entis contemplari.

3. Denique Veritas alia est complexa, quæ nihil aliud est, quam congruentia subjecti & prædicati, itemque medii termini cum extremis, appellariq; solet veritas propositionum & syllogismorum, siquidem illa enunciatio dicitur vera, quæ conformitatem habet cum reipsâ enunciata, s. quæ dicit ipsum rei quidditatem, v. g. Homo est animal rationale, Leo non est Equus hæ propositiones dicuntur, & sunt veræ, ac compleam dicunt veritatem. Alia incomplexa, quæ est veritas terminorum simplicium.

4. Estque triplex, vel Objectiva s. in essendo, quæ est ipsius rei veritas, alias vocari solet transcendentalis s. Metaphysica, quandoquidem hoc propriè & directè spectat. Vel Conformativa s. in cognoscendo, quæ est congruentia conceptus formalis cum reconceptâ, ubi intellectus dicitur omnia fieri non realiter, sed idealiter, ideoque non requiritur hâc identitas essentiæ inter potentiam cognoscentem & objectum cognoscibile, s. ùm potens.

potentia cognoscens proorsus spiritualis ut & infinita, obiectum materiale & finitum; & contra potentia non simpliciter à materia independens, finita & mutabilis, objectum proorsus spirituale infinitum & immutabile cognoscere possit, ita ut immutabile illud objectum & proorsus Spirituale, nullam exinde mutabilitatem capiat: vel finita cognoscens potentia aliquius infinitatis, aut immutabilitatis ex objecto infinito & immutabili capax fiat. Proinde modus, quo intellectiva Veritas incognoscendo fieri debet est representatio ipsius objecti extra intellectum positi per formam in intellectu ipsum objectum debitè representantem. Tria enim requiruntur h: c.  
1. Representatio objecti, quā id per ideam intentionalem intellectui sicutur. 2. Similitudo ut illa idea ipsi objecto adsimiletur, non secus ac idea in speculo similis est objecto representato. 3. Adequatio commensurata & indivisibilis, ut nihil sit in illo conceptu & cognitione quod non inveniatur in re, licet non omnia, quæ in objecto sunt, statim in illo conceptu inveniri necesse sit. Ex his patet Veritatem Cognitionis esse in intellectu tanquam subjecto inhaesione, & in conceptu formalis, ut subjecto denominationis, non autem in re cognita, cum hæc nonnunquam non habeat esse reale & distinctum ab esse objectivo, quando est ens rationis. *Vid. Excell. Dn. D. Sibar. in Theor. Transcend. p. 409.* Præterea rectè dicitur veritas esse in omnibus intellectus operationibus & consequenter etiam in simplici apprehensione, simplicibusque conceptibus, licet peculiari ratione illa sit in ipsa οὐγέσει & compositione vel divisione intellectus in quantum nempe ex cognitione & affinitate rerum de se enunciatarum ipsa veritas cognoscitur. Hæc verò non exclusivè sunt intelligenda ac si veritas nulla esset in sensu per congruentiam speciei sensilis cum objecto in potentia cognoscitiva, quippe eandem facile & Iubenter contedimus. Deinde quoque Veritas cognitionis increa æita sese habet, ut illa divinus intellectus res infallibiliter cognoscat, & omnis veritatis norma sit, Creata verò cognitione creatus intellectus res cognoscibiles pro norma & regula assumit, à quibus mensuratur. Vel signativa s. in significan-

A 3.

do

do, quæ est congruentia signi cum re significata, vel voce vel litteris, tanquam signis externis exhibita. Et hæc est duplex, vel *Ethica*, veritas dicta, ad quam requiritur congruentia oris & cordis, vel *Logica* quæ requirit congruentiam orationis cum re ipsa. Hæ veritates indirectè saltē considerantur in Metaphysicis, quatenus aliqualem congruentiam habet cum Veritate Transcendentali, s. Metaphysica, directè vero tum ad Ethicam, tum ad Logicam pertinent, ita ut Maccovius pluribus de illa agens contra naturam hujus disciplinæ peccet, & confusione introducat; imò minus accuratè & distinctè ad exempla respondeat.

5. Circa definitionem s. descriptionem duo iterum diligenter sunt attendenda. 1. *Materiale*. 2. *Formale*. *Materiale* est Entitas s. ipsa rei essentia, quæ veritati formaliter sumitæ quasi essentialiter substat, ita quidem, ut essentialiter in ea continetur, siquidem veritas essentialiter ipsam dicit entitatem, s. essentiam veram, & vice versa. Quemadmodum enim reliquæ affectiones Entis in adæquato suo conceptu ipsam implicant Entitatem, quâ ratione Unum non tantum dicit Indivisionem, sed simul ipsam Entitatem indivisam, ita etiam Veritas essentialiter dicit ipsam Entitatem. Non secus atque in divinis, cum concipimus justitiam DEI, quæ non est alia Entitas ab essentia DEI, sed simul involvit ipsam DEI essentiam.

6. *Formale*, per quod Veritas à priori distinguitur ab alijs Entis affectionibus, est congruentia s. conformitas rei cum intellectu divino. Hanc Veritatis rationem formalem duobus modis posse explicari Metaphysici communiter statuunt. 1. *Negative* & populariter quando explicatur quod veritas nihil aliud sit, quam essentia carens fictione, vel non habens solum apparentiam, v. g. Illud verè Leo est, & illud verè homo, quod non est fictus vel solum apparens Leo vel Homo, sed ut dictum hoc modo tantum populariter explicatur. 2. *Positivè* vero & accuratius per relationem congruentiae describitur quod probatur inductione eorum, quæ dicuntur vera. Sic Oratio dicitur vera, quæ habet relationem congruentiae cum suis conceptibus. Propositione dicitur vera, quæ habet relationem congruentiae cum

cum

cum ipsis rebus. Sic effigies & imago dicitur vera, quæ habet relationem congruentiam cum idea in mente artificis, & quæ ita se non habet, utique nec veritatem habere dicuntur. Non autem sufficit dicere, rem veram esse, quæ ita est, uti esse debet ut effigies vera dicitur, quæ est uti esse debet. Sic verum aurum, quod est uti esse debet: Siquidem in hoc conceptu nondum ultimatè mens nostra quoad formalem rationem veri indagandam acquiescit, sed ulterius quæri potest, quare ita & non aliter esse debet, ubi ultimatè recurrēndum ad relationem congruentiam quoad normam. Hoc jam præsupposito de natura veri in genere, subsumimus talem relationem congruentiam quoque inspeciali ratione alicujus veri Physici & naturalis locum habere, & quidem quoad intellectum, quem vel ipsum objectum cognoscibile normat & mensurat, vel ab eo tanquam norma mensuratur. Siquidem res sunt norma cognitionis; Intellectus autem divinus norma constitutionis. Jam verò omnes res creatæ sunt à Deo ratione productionis & Creationis: Productio autem & creatio ut actio divina à principio dirigente ipso intellectu promanantur: Igitur res omnes productæ & creatæ necessarie est ut ad intellectum divinum & ideam in mente divina ab æterno existentem, omnesque res extra se producendas representantem referantur & reducantur: quippe hæc norma & mensura rerum verarum productarum, nisi quis velit afferre, rem esse à principio quodam dirigente, & tamen sui esse veritatem transcendentalē exinde non trahere, quod absurdum: aut affirmare Intellectum divinum sicuti Creaturam, ab ipsis rebus mensurari, quod est imperfectionis notam veritatis arguere; vel enim mensurat res, aut mensuratur à rebus.

7. Dicitur ergo Veritas conformitas rei cum intellectu potentissimum divino, propterea, quia hic nec mensuram nec exemplar, ad quod extra se quid conformetur, admittit, sed ultima norma est, in qua subsistendum. Merito proinde verum ens dicitur, quod cum illo conformitatem habet. Et hoc modo vera erit res illa, quæ ita comparata est, prout Creator ab æterno illam producere præconceperat. Postea autem congruentia etiam respectum habere potest, ad intellectum Creatum,

in



In quantum res tantum aut ut vera cognoscitur, aut artificialia proxime ad intellectum Creatum referuntur, ita scilicet, ut vera statua sit, quæ conformis est ideæ, s. intellectui statuarij, & propositus ita se habet quemadmodum hic eam mente præconcepereat, quamvis artificialia materialiter & concretè sint Ens per accidens; potissimum tamen quoque artificialia ista, quamvis remotè, referuntur ad intellectum divinum, seu mensuram & normam intellectus humani, quem ad illum semper conformari oportet.

8. Hæc autem congruentiæ relatio abstractè & præcisè sumpta non est congruentiæ quantitativæ & adæquationis, sed imitationis & repræsentationis, qua res vera imitatur ideam, quæ eandem rem in mente divina repræsentat. Quia enim veritas Entis in universali jam consideranda, præcisè & abstractè ita debet ratio ejus formalis ponи, ut omni Enti competat, tamen in creato, quam in creato. Attendendus ergo terminus hujus relationis, intellectus divinus, qui pro varietate rerum diversimodè se habet, siquidem dici potest vel speculativus tantum, vel simul etiam practicus. Unde alij Authores quando Veritas dicitur congruentia rei cum intellectu, intelligunt hoc de intellectu, quatenus præscindit à cognoscente & mensurante, quomodo omnis rerum veritas adæquatur divinæ menti, vel ratione cognitionis, quando tales res sunt, qualis est DEI cognitionis; vel ratione mensurationis, quando mensura rerum est Intellectus divinus. *Vid. Pl. Rev. & Excell. Dn. D. Calov. l.c. p. 325.* Ad hoc ipsum plenius percipiendum sublimitas materiae requirit, ut quoad nostrum concipiendi modum de eodem disseramus, ita tamen, ut inadæquati nostri conceptus nihil imperfectionis rei inferant. Intellectus enim divinus, quia nihil aliud est, quam essentia divina intelligens, per modum actus vitalis, utique licet unus semper sit & maneat, attamen nos quæ admodum ipsam essentiam divinam sub differentijs temporum, scil. Deum fuisse, esse, fore, sic etiam illius intellectivam potentiam sub ejusmodi differentijs respectu suorum actuum concipere possumus. Intellectus ergo cognoscens vel consideratus

deratur ut ab æterno omnia cognovit, & rerum conceptus formavit, vel ut à nobis quasi in tempore res cognoscere ut veras concipitur, & sic de veritate rerum ad conceptum de illis formatum collatarum cognoscendo judicat. Prior cognitio maximè requiritur, cum aliàs rerum conceptus in mente divina esse non possint; quibus res conformari vel conformes esse debent, si suam essentialem veritatem obtinere volunt. Posterior vero aliquo modo ipsis rebus posterior est, unde rectè Pl. Rev. & Excell. Dn. D. Scharf in Thes. Transcend. p. 360. & Dn. D. Galovius in Metaph. Div. cap. 5. de Veritate. Si rationis, inquit, saltem cogites distinctionem debet potius divina scientia sive proportionari essentiæ, quam è converso. Non ideo hoc ens est verus Deus, quia videt se esse verum DEum, sed ideo videt se esse verum Deum, quia re ipsa est verus Deus. Intellectus ergo divinus, in quantum est terminus congruentiæ ad quem veritas Entis refertur, abstracte & præcisè se habet, ut ratio repræsentans adæquatè rerum conceptus, sive illud fiat simpliciter, in quantum Entis increati essentia conceptu simplici intellectus divinus repræsentat, & sive illud fiat ad modum exemplaris & ideæ simul, secundum quam Entis creati essentia, ut producibilis vel producta repræsentatur. Et sic omne Ens quod verum esse dicitur, hunc ipsum conceptum in mente divina existentem imitatur, eidemq; assimilatur.

9. Ex his patere sufficienter putamus, quām inconveniens sit descriptio Veritatis Maccovii cap. 7. *Verum est, quod principia vera alicujus rei habet, tum quod illa ipsa non modo insufficiens sit, verum planè pro ipsa nominis explicazione tantum habenda, tum quod formalem Veri rationem consistentem, ut probatum est, in relatione ad intellectum, omittat, tum deniq; quod ea adducat, quæ veritati ut sic & in genere, ut loquitur, plane repugnant. Siquidem non omne Ens ut Ens increatum & spiritus habet principia interna scil. constitutiva, si scapham scapham nominare vult, nisi ut prima disputatione jam ostensum, compositio-*

B

nem

nem in Ente simplicissimo & principia interna constituen-  
tia spiritibus, veritati conceptus & sermonis, ut accidenti-  
bus, concedere velit..

THES II.

Veritas duplex est, alia independens  
& prima, alia dependens & ab hac orta.

Hæc veritatis divisio vera est, & propriè sic dicta, siquidem exhaudit totam ejusdem latitudinem, nihil enim dari, nedum ex cogitari potest, quod non ad alterutram re ferri queat. Nam & Deus verus est, veritate scil. essentiali, quæ est ipsa divina essentia, quæ conformabilis divino intellectui. Independens est, quæ essentia divina intellectur divino pure conceptum essentiæ divinæ formanti per essentiale identitatem conformis est, & sic dicitur omnimodæ identitatis. Competit autem Deo veritas 1. Constantiæ immutabilitatis, perfectionis & permanentiæ, siquidem non est vanus, Deitate & maiestate vacuus, sed est constans immutabilis, perfectus & aeternus. 2. Veritas justitiæ & rectitudinis, justissimus enim est & sanctissimus, imò ipsa sanctitas & justitia. 3. Veritas Cognitionis s. Intelligentiæ, verè enim rem cognoscit, ita ut falli aut decipi nullo modo possit, quoniam intellectus ejus est infinite perfectus, & norma omnis Veritatis in rebus. 4. Veritas significativa, qua Deus veracissime Creaturis ea, quæ ipsis innotescere vult, revelat. 5. Veritas candoris & promissionis, in servandis promissis, juxta quam ipsi repugnat fallere, simulare, & decipere. Deniq; 6. Veritas essentiæ, quæ hujus est loci. Competit autem Deo veritas hæc, non ad modum accidentis, si enim hoc esset, tum in abstracto ipsa Veritas non esset, id quod tamen de Deo rectissime dicitur, ita ut non tantum in concreto verus sit, sed & in abstracto Veritas ipsa; non enim in Deo different habens & habitum, neq; participatione Veritatis Deus verus est, sed se ipso & suam et essentia, quæ identificat perfectissime sibi omnia attributa. Sed præprimis hic notandum, quod licet,

Icet ipsa essentia divina, quæ ut Ens relatum ad intelle-  
ctum divinum non differat realiter ab intellectu divino,  
sed materialiter, ut loquuntur, idem sint; attamen formalis  
differentia datur, quæ sufficiens fundamentum esse potest,  
ut essentia divina dicatur congruere, conformis esse, & i-  
mitari conceptum sui in intellectu divino existentem, etiā-  
si illa nec ab intellectu divino, nec ab ejus actu, & vice ver-  
sa, realiter differat. Adjecimus quoq; in definitione, actuū  
ipsius intellectus divini hic concipiendum esse purè & sim-  
pliciter, in quantum purè conceptum divinæ essentiæ for-  
mat & repræsentat, ita ut ipse intellectus non considere-  
tur, tanquam principium essentiam illam producens, sed  
radix & fons omnis veritatis, essentiæ sibi congruenti veri-  
tatis denominationem tribuens.

2. Dependens vel oria Veritas est, quâ essentialia creataria in-  
tellec̄tu divino quo ad eūs ideam vel exemplar. à quo ut à prin-  
cipio dirigente dependit per congruentiam & imitationem con-  
formis est. Sic enim res creatæ verae dicuntur, ob istam con-  
formitatem, quam habent cum idea in mente divina, & hoc  
modo etiam Diabolus transcendentaliter verus est, quate-  
bus nimis Ense est: nullum enim ens ex se & suâ naturâ  
diffinitatem dicit cum intellectu divino, sed hæc veri-  
tas non est omnimodæ identitatis, sed analogicæ partici-  
pationis. Proinde hæc veritas à priori in eo differt, quod i-  
pse intellectus dividus, ut infallibilis veritatis radix, non  
solum formet conceptum rei Creatæ, sed insuper ut prin-  
cipium dirigens ipsam potentiam productricem, concur-  
rat, secundum conceptum de re formatum, qui conceptus  
propterea dicitur exemplar vel idea, ad ipsam rem produ-  
cendam ut illa ipsi conceptui & ideæ in mente divina con-  
formis sit, & assimiletur.

## Πορίσματα.

I.

Veritas unatantū est, b.e. Unius rei nō est nisi unica veritas.

B 2

1. Hoc

1. Hoc axioma non est intelligendum de veritate quoad diversa subjecta & objecta, hoc modo enim veritas multiplex esse potest, ita ut alia sit veritas Theologica, alia Juridica, alia Medica & alia Philosophica. Item alia veritas est rerum naturalium, alia moralium, & alia artificialium. Neq; quoad subordinatos gradus, sic enim veritas alia est supra rationem, alia infra rationem, & alia secundum rationem.

2. Sed loquitur hoc axioma de veritate quoad essentiam suam, quæ uti dictum est, consistit in conformitate cum intellectu divino, cui una eademq; res quādo conformis est, non simul disformis esse potest, sicq; secundum idem & eodem respectu simul vera & falsa esse nequit.

3. Negandum itaq; omnino est, unius rei duplēm dari veritatem, s. *in essendo*, quia veritas rei est ipsa essentia rei, quemadmodum verò cujuslibet rei. s. entis essentia est una, ita quoq; Veritas una erit; s. *in cognoscendo*, hæc enim dependet à veritate in essendo, & prout in se res est, ita etiam debet cognosci; s. *in significando* hanc enim respondere rei significatæ oportet.

## II.

### *Non datur duplex & Contradicторia Veritas.*

1. Hoc axioma fluit ex præcedenti, nam si veritas una tantum est, sequitur exinde infallibiliter, non dari duplēm & contradictoriam veritatem, aliás idem simul esset & non esset, quod tamen absurdissimum esse, nemo non facile animadvertis.

2. Et quamvis nonnulli reperiantur, qui exempla quædam proferant, quibus probare velint dari duplēm veritatem, sive quod verum est in una disciplina illud ipsum esse falsum in altera disciplina, v.g. Ignem urere, ex nihilo nihil fieri, Virginem non parere, &c. quæ omnia vera esse dicunt in Philosophia, falsissima autem in Theologia, quippe quæ contrarium demonstrat; Respondemus tamen hisce hominibus, ut ad omnem oppositionem, ita etiam con-

tra-

traditionem veram requiri conditiones debitas, ut' nimis  
rum illa fiat de eodem, secundum idem, ad idem, & eodē  
respectu, quæ conditiones tamen ab illis non observantur.  
Secundum consuetum enim naturæ cursum, nihil fieri ex  
nihilo, ignem urere, Virginem non posse parere, Philosofia  
ait: at verò nec contradicit Theologiæ, quippe quæ su-  
pernaturaliter tantum hæc fieri posse afferit, quod tamen  
neq; Philosophia negat, neq; afferit, siquidē prorsus igno-  
rat. Philosophia enim semper loquitur de iis, quæ natura-  
liter fieri non possunt, Theologia verò de iis, quæ superna-  
turaliter fiunt. Apparet itaq; hinc, Philosophiā nō esse The-  
ologiæ contrariā, ut ulterius ex prima disputatione patet.

### III.

#### *Antiquissimum quodq; verissimum.*

Hoc Tertulliani axioma non debet intelligi de veri-  
tate Entis, sed cognitionis, nisi quis ordinem observare ve-  
lit, cuius respectu, quæ ratione esse, priora sunt, illa etiam  
ratione veritatis essentialis priora dicuntur. Cum autem de  
Cognitionis veritate accipitur, limitari debet, inter abso-  
lutè antiquissimum, & secundum quid; Verum est axioma  
de antiquissimo absolutè, v.g. Nostra religio Lutherana est  
antiquissima absolutè, siquidem jam in Paradyso instituta  
fuit. Pontificiorum autem secta antiquissima est secundum  
quid, quoniam à prima illa antiquitate deflexit. Antiquis-  
simum quodq; verissimum est, non tam quia antiquissimū  
est, sed quia maximè conforme cum intellectu divino de-  
prehenditur, siquidem Veritas in congruentia rei cum in-  
tellectu divino consistit, ut indicatum supra. Sic Testimo-  
nia Patrum non propterea quod antiqua sunt, sed quod  
conformia sunt cum intellectu divino in sacris literis re-  
velato, autoritatem quandam testimonii merentur. Ista

enim mentis divina revelatio omnium antiquissima est,  
ideoq; infallibilis veritatis norma.

#### IV.

*Quodcumq; est, in sua essentia verum est.*

Siquidem Veritas rei & essentia idem sunt. Ergo  
quicquid habet essentiam, h.e. tales qualem habere de-  
bet, secundum propriam suam naturam, illud verumens  
est: Sie Tineæ, Pulices ac quævis abjectissima animalcula  
vera sunt entia, quoniam essentiam habent sibi debitam.  
Non v. sine causa additur in hoc axiome, in essentia sua,  
hæc enim quando est, uti esse debet, statim ibi verum ens  
esse deprehenditur. Nihil ergo accidentium ac ex-  
traessentialium absentia adimit rei veritati, quemadmo-  
dum nec ad essentia illorum quicquam ei confert, per  
quod possit constitui.

#### V.

*Falsitas non est in rebus.*

1. Falsitas scilicet propriè dicta & intrinseca non est  
in rebus, quæ est disconvenientia rei cum intellectu divi-  
no. Ens enim in quantum Ens est, tale esse habet, quale  
natura sua habere debet; hinc sequitur, illud ens, quod  
non habet congruentiam cum intellectu divino, divinitus  
productum non esse, & quod hoc modo productum non  
est, nihil est, squidem præter Deum nullum Ens est inde-  
pendens.

2. Impropriè tamen & analogicè dicta falsitas,  
quæ nihil aliud est, quam denominatio quædam extrin-  
seca, rebus attribui solet; vel quatenus occasio in iis est, ut  
facultas

facultas cognoscens unum pro altero apprehendat, sicut aurichalcum dicitur falso: autem propter similitudinem & speciem auri, quam præse fert: vel quatenus falsæ opinionis objectum sunt, sic idola dicuntur falsi dñi; Vel quatenus perfectionis debitæ defectum & carentiam dicunt, & hoc modo Monstra sunt res falsæ, quia à naturæ norma; item errata artificum, quia ab artis præscripto exorbitant.

## VI.

*Veritas est Indivisibilis.*

Ratio hæc est, quandoquidem Veritas una tantum est. Jam quicquid unum est, illud, quæ tale, non est divisibile, cum formalis ratio unius in indivisione consistat. Deinde Veritas etiā conformitatem dicit omnimodā cū suo objecto, & objecti cum idea, cum qua congruit, ita ut nihil sit in illo conceptu, sive in illa cognitione, quod non etiam corresponeat rei, licet non omnia, quæ in re sunt, statim sint in illo conceptu. Sic qui concipit Dñm in essentia unum, is format verum de eo conceptum, quamvis non statim eundem cognoscat in Personis trinum. Veritas nō notante, *Pl. Rev. & Excell. Dn. D. Calovio.* cap. 5. πορ. 6. p. 336. præcisè consistit in conformitate ejus quod concipitur cum objecto. Cui nihil prorsus præjudicat, si præterea alia etiam reperiatur in objecto, quæ non statim sunt in concepto. Illa n. alios requirunt conceptus, sine quibus alter nihilominus verus esse potest. Et quamvis vel maximè reliqua non concederentur, quæ verissimè sunt in objecto, nullatenus tamen veritas istius conceptus falso esset. Ut si quis negaret Christum esse verum Dñm, hominem vero eundem esse concederet, tum vera erit ejus concessio, quantumvis negatio sit falsissima. Nam in conceptu illa sunt distincta, quamvis unum sint in objecto, nempe Christo.

Eximio ac Præstantissimo Dn. M. Respon-  
denti Amico & Fautori dilecto.

**D**E Veritate disputas,  
Et quid sit ipsum concipis  
Verum: tibi inde gratulor,  
Amice docte; præmia &  
tum certa, vera tum tibi  
futura quævis auguror.

*ita gratulatur*

PRÆSES.



05 A 784

ULB Halle  
003 767 515

3



W 17



4



DISPUTATIONUM METAPHYSICARUM  
 QUARTA.  
 DE  
**VERITATE**  
*Quæ*  
 DIVINA ASPIRANTE CRATIA  
 PRÆSIDE  
*VIRO*  
**CLARISSIMO ATQVE PEREXIMO**  
**DN. MCHRISTIANO BILEFELD**  
 Lubec: Amplissimæ Facultatis Philosophicæ Ad-  
 juncto meritissimo, Fautore ac Promotore suo  
 æternūm devenerando  
*Publicè ventilanda proponit*

**M.FRIDERICO HAUPT, DANTISCANO**

*AUTHORE.*  
 In Auditorio Minorī  
*Ad d. 15. Novembr. Horis matutinis.*

*WITTEBERGÆ*

Typis Johannis Rohneri Acad. Typogr.  
 ANNO M DC LI.

